



## **Magnum Bullarium Romanum, Seu Ejusdem Continuatio**

Quæ Supplementi loco sit, tum huicce, tum aliis quæ præcesserunt  
Editionibus, Romanæ, & Lugdunensi ...

Constitutiones Variorum Pontificum in præcedentibus Editionibus  
desideratas, summoque studio hinc inde conquisitas complectens

**Luxemburgi, 1741**

24. Redemptor humani, &c. De beata Peregrino Latioso à Foro-Livii ordinis  
Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, sanctorum confessorum canoni  
per eundem adscripto die 27. Decembris anni 1726.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74514](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74514)

ANNO  
1726.

XXIV.

De beato Peregrino Latiofo à Foro - Livii ordinis Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, sanctorum confessorum canonici per eundem adscripto die 27. Decembris anni 1726.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei memoriam.*

I.  
Ecclesia præcipuos honores illis decernit, qui meritis supra alios claruerunt.

II.  
Per beati Peregrini à Foro - Livii virtutes & signa Dei nomen celebratum.

III.  
Ejus ortus, educatio, mores, conversio, & sanctitas.

**R**edemptor humani generis Christus Dominus, qui fideles famulos suos celestis beatitudinis confortes efficere consuevit, eos peculiari præmiorum retributione prosequitur, quos ingentior meritorum excellentia commendat, sicque sancta mater Ecclesia sui sponsi vestigiis insistens, licet omnes cum ipso viventes in cælo sollicitis studiis honoret, illos tamen, qui supra ceteros virtutum & miraculorum præstantia in terris fulserunt, præcipuis honoribus venerari disponit.

Tam piis causis inducti, beatum Peregrinum à Foro-Livii, quatuor ab hinc sæculis in ordine Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis asperissima penitentia, & Christianis moribus clarum, ac signis etiam, quæ omnipotens Deus per ejus merita ostendit, nos hac ipsa die, in honorem beati Johannis Apostoli & Evangelistæ Deo sacra, solemnè Ecclesiæ Romanæ cæremonia in sanctorum confessorum canonem referre decrevimus, ut in magnis, multisque tanti viri virtutibus, earumdem auctoris summi Dei nomen per omnes gentes celebrari audiat.

In Foro Livii, præcipua beati Petri civitate in Æmilia ex perhonesto Latiofo prosapia ortus est Peregrinus anno Christi Domini M C C L V. quem, licet Christianè educatum, atque à teneris annis Deiparæ Virgini speciali studio addictum, tamen corrupti sæculi mores eo abduxerunt, ut civilibus patriæ discordiis & seditionibus involutus, à legitimo imperio sanctæ Apostolicæ Sedis una cum reliquis suis contrariis deficeret, eo etiam prolapsus, ut Philippum Benitium, ejusdem familiæ Fratrum Servorum beatæ Mariæ Virginis, postea ob vitæ sanctimoniam Dei confessoribus adnumeratum, quem recolendæ memoriæ antecessor noster Martinus Papa IV. illuc miserat, ut sacris concionibus Liviensem populum ad sanctorum sensum revocaret, contumeliis & lapidibus cæsum, atque extra civitatem ejectum, alapa in faciem percuteret. Philippo tamen pro hostibus suis Deum exorante, Peregrinus admitti criminis dolore tactus, flevit amarè, ac Philippum extra civitatem propere adiens, veniam supplex deprecatus est, inque viam salutis à pio viro ductus, regulæ Fratrum Servorum nomen daturus, monitu Deiparæ Virginis atque Angelo comite, Senas, quæ est civitas Virginis, statim profectus est, ubi novum plane hominem induens, omni genere penitentiam se totum Deo dicavit, ut præteritum facinus undequaque expiaret. Itaque in alterum plane hominem immutatus, diuturnis jejuniis & macerationibus corpus domans, meditationibus, vigiliis ac lacrymis, perque totos triginta annos nunquam sedens, sed parieti vel faxo incumbens quiescere solitus, omnium admirationem in se convertit. Caritati maxime studens, ad peccatorum salutem tanta sollicitudine operam dedit, ut triginta latrones in silvis alienæ vitæ & bonis inhiantes, adire non formidaverit, omnesque, Deo favente, ad feriam penitentiam attraxerit, propterea Æmiliæ Apostolus vocitatus.

Quanta in Deum fide excelluerit, inde fitalam, quod deficientem annonam, in pauperes erogandam, divinitus multiplicaverit. Sed manus Domini excelsum Peregrini virtutem morbo, omnium truculentissimo, adhuc probare voluit. Crus enim viri Dei mortifero tumore contabuit: quique per triginta annos nunquam federat, in lectulo decumbere coactus est. Mox graveolenti gangræna cruciatus, ac Jobo persimilis, ab omnibus derelictus, neque ideo mæstus, quum de crure amputando supremum consilium iniretur, præsentis Dei ope convaluit, ut nec vestigium ullum plagæ appareret. Quare Peregrini, Deo cari, virtutum fama ubique diffusa, omnium ore Sancti elogio passim vocari meruit.

Tandem post exactum in perfectissimo Dei famulatu octoginta annorum curriculum, febri correptus in cœnobio Fratrum Servorum, quod in patria excitandum curaverat, meritorum plenus obdormivit in Domino Kalendis Maiis anno reparatæ salutis M C C C X L V. tanta sanctimonie laude in clytus, ut finitimis populis corpusculum ejus veneraturis magna frequentia undique adcurrentibus, portæ ipsæ civitatis noctu claudi, & sacra exuvia, suavem odorem emittentes, nisi post multos dies tertæ mandari, nequiverint. Nec illud silendum, cæco ad beati viri pheretrum per densam multitudinem irrepenti, visum cælitus restitutum.

Quapropter ad viri Dei tumulum Christi fidelibus ob receptas vel recipiendas, ejus intercessione à summo honorum omnium largitore gratias, assidue confluentibus, sub felicis recordationis decessore nostro Paulo Papa V. de Peregrini sanctitate, miraculis & veteri cultu actum est, rem totam exponente Dei servo Roberto S. R. E. tituli beatæ Mariæ in Via presbytero Cardinali, Bellarmino nuncupato; inque Peregrini honorem, de ejus officio in Ecclesiis & cœnobiis totius familiæ Servorum recitando, deque ejus nomine in tabulas Martyrologii Romani referendo, ritè sanctum est. Postmodum sedente alio antecessore nostro felicis memoriæ Urbano Papa VIII. eadem Peregrini exuvia corruptionis expertes ex veteri in novum atque aptius sacellum permagna totius civitatis veneratione translatae sunt, ejus officio sub ritu duplici toti ordini Servorum recitari permissio.

Eximiiis deinde & vere Christianis Peregrini virtutibus sub aliis Romanis Pontificibus decessoribus nostris, Innocentio XII. & Clemente XI. ad canonicas majorum sanctiones discussis, miracula etiam post concessam viri Dei ab Apostolica Sede venerationem & cultum paratæ, in examen per venerabiles fratres nostros S. R. E. Cardinales coram nobis de more adducta fuerunt: quibus veteri disciplinæ per omnia respondere compertis, inque quibus consistoriis & plenario conventu eorumdem venerabilium fratrum nostrorum S. R. E. Cardinalium, atque etiam Patriarcharum, Archiepiscoporum & Episcoporum nobiscum in Urbe præsentium rite probatis, unanimi eorumdem sententia, per Sedis Apostolicæ Notarios coram nobis excepta, Regumque ac Principum Christianorum, civitatis Livienfis, atque ordinis Servorum enixis precibus pro Peregrino in sanctorum confessorum non pontificum canonem referendo Apostolicæ Sedi porrectis, tantæ rei perficiendæ solemnem diem indiximus, perque orationes, jejunia & elemosynas omnipotentis Dei opem ferventissime imploravimus, & implorari mandavimus; ac tandem universis, quæ ex antecessorum nostrorum Romanorum Pontificum decretis agenda erant, omni reli-

ANNO  
1726.

IV.  
Magna Peregrini fides & virtus gravi morbo probata.

V.  
Miracula inter clytus pie obit, & miraculis illustratur.

VI.  
Miracula per merita beati Peregrini à Deo parata, & ejus cultus.

VII.  
Inter sanctos ritu solemnè referunt.

ANN O  
1726.

gione peratis, nos hoc die festo beati Johannis Apostoli & Evangelistae una cum iisdem venerabilibus fratribus nostris S. R. E. Cardinalibus, Patriarchis, Archiepiscopis & Episcopis, ac utriusque cleri & populi frequentia in sacrosanctam basilicam Principis Apostolorum, Deo supplicantes, convenimus, ubi semel, iterum & tertio pro beato Peregrino à Foro-Livii ex ordine fratrum Servorum beatae Mariae Virginis, in sanctorum confessorum non pontificum cano-nem referendo precibus repetitis per venerabilem fratrem nostrum Laurentium S. R. E. Episco-pum Cardinalem Tusculanum, Corfinum nuncupatum, post decantatas sacras orationes & Spiritus sancti gratiam humillime imploratam, ad honorem sanctae & individuae Trinitatis, fi-dei Catholicae exaltationem, & Christianae reli-gionis incrementum, auctoritate omnipotentis Dei, Patris, Filii, & Spiritus Sancti, ac bea-torum Apostolorum Petri & Pauli, ac nostra de eorundem venerabilium fratrum nostrorum Sanctae Romanae Ecclesiae Cardinalium, Patriarcha-rum, Archiepiscoporum & Episcoporum, no-biscum in plenario conventu basilicae Vaticanae praesentium, consilio, & unanimi consensu, beatum Peregrinum à Foro-Livii ex ordine Fratrum Servorum beatae Mariae Virginis, de-cujus sanctitate, fidei sinceritate & ceterarum virtutum ac miraculorum excellentia plene con-stabat & constat, una cum beatis viris, perinde confessoribus non pontificibus, Johanne à Cruce ordinis fratrum Excalceatorum beatae Mariae Vir-ginis à monte Carmelo, & Francisco Solano or-dinis Fratrum Minorum, qui à regulari Ob-servantia nuncupantur, sanctum esse defini-mus, Sanctorum confessorum non pontificum canoni adscribendum decrevimus, prout praesentium tenore definimus, decernimus, & ad-scribimus, eundemque per universos Christi fi-deles, tanquam verè sanctum, honorari man-davimus & mandamus, statuentes, ut ab uni-versa Ecclesia in ejus honorem aedes sacrae & altaria, in quibus incrementum sacrificium Deo offeratur, aedificari ac consecrari, & quotannis pridie Kalendas Majas ejus festa solemnia, ut sancti confessoris non pontificis, celebrari pos-sint.

VIII.  
Indulgentia,  
ejus exuvias  
visitantibus  
concessa.

IX.  
Missa cele-brata à Pon-tifice in ejus honorem.

X.  
Deus glori-ficandus in sanctitate be-ati Peregrini à Foro-Livii.

XI.  
His literis

Insuper eadem auctoritate, omnibus Christi fidelibus verè poenitentibus & confessis, qui eodem die festo in memoriam beati Peregrini ad ejus exuvias visitandas accesserint, an-num & quadragenam; iis verò, qui in octava ejusdem festi, quadraginta dies de injunctis, seu quomodolibet eis debitis poenitentis, mi-sericorditer in Domino relaxavimus & relaxamus. Postremò gratis Deo actis, quod Ecclesiam suam insigni hoc novoque luminari illustrare di-gnatus fuisset, cantata in honorem sanctorum Christi confessorum Peregrini à Foro-Livii, Jo-hannis à Cruce, & Francisci Solani oratione solemni, in ara maxima supra confessionem Principis Apostolorum sacrosanctum missae sacri-ficium celebravimus cum ejusdem Peregrini & ceterorum commemoratione, omnibusque Chri-sti fidelibus tunc praesentibus plenariam omnium peccatorum indulgentiam concessimus. Decet igitur, ut pro tam peculiari insignique beneficio caelitus nobis concesso omnes benedi-camus & glorificemus Deum Patrem, omnium honorum auctorem, cui est honor & gloria in saecula, assiduis precibus ab eo postulantes, ut per intercessionem electi sui Peregrini, à peccatis nostris indignationem suam avertens, o-stendat nobis faciem misericordiae suae, immit-tatque timorem sui super gentes, quae non co-gnoverunt eum, ut tandem cognoscant, quia non est alius Deus, nisi Deus noster. Ceterum quia difficile foret, praesentes no-

stras literas ad singula loca, ad quae opus esset, adferri, volumus, ut earum exemplis, etiam impressis, manu publici notarii subscriptis, & sigillo alicujus personae in dignitate ecclesiastica constitutae munitis, eadem ubique fides habeatur, quae ipsis praesentibus haberetur, si es-sent exhibitae vel ostensae.

Nulli ergo omnino hominum liceat hanc pa-ginam nostrae definitionis, decreti, adscriptio-nis, relationis, mandati, statuti, relaxationis & voluntatis infringere, vel ei ausu temerario contraire. Si quis autem hoc attentare praesumpserit, indignationem omnipotentis Dei, ac beatorum Petri & Pauli Apostolorum ejus se noverit incursum.

Datum Romae apud sanctum Petrum Anno in-carnationis Dominicae millesimo septingentesimo vicesimo sexto, vi, Kalendas Januarias, Pon-tificatus nostri Anno tertio.

\* Ego Benedictus Catholicae Ecclesiae Episcopus.



- † Ego Franciscus Episcopus Ostiensis Cardina-lis Barberinus.
- † Ego Petrus Episcopus Sabinensis Cardinalis Orthobonus S. R. E. Vicecancellarius.
- † Ego Laurentius Episcopus Tusculanus Cardi-nalis Corfinus.
- † Ego Joseph Renatus Tit. sancti Laurentii in Lucina Presbyter Cardinalis Imperialis.
- † Ego Philippus Antonius Tit. sanctae Praxedis Presbyter Cardinalis Gualterius.
- † Ego Annibal Tit. sancti Clementis Presbyter Cardinalis sancti Clementis Albanus S. R. E. Camerarius.
- † Ego Ludovicus Tit. sancti Silvestri in Capite Presbyter Cardinalis Pius de Mirandula.
- † Ego Joannes Antonius Tit. sancti Calixti Pres-byter Cardinalis de Via.
- † Ego Antonius Felix Tit. sanctae Balbinae Pres-byter Cardinalis Zondadarius.
- † Ego Petrus Tit. sancti Joannis ante Portam Latinam Presbyter Cardinalis Corradinus.
- † Ego Curtius Tit. sancti Eustachii Presbyter Cardinalis Origus.

ANN O  
1726.

ubique fides  
adhibeatur.

XII.  
Nemo eas  
infringere au-deat.

6. Kal. Ja-nuar. 1726.

A N N O  
1726.† Ego Melchior Tit. sanctæ Mariæ Angelorum  
Presbyter Cardinalis de Polignac.

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

†

P. Cardinalis Prodaturus.

Pro D. Cardinali Oliverio.

C. Archiepiscopus Emisenus.

V I S A.

De Curia J. Archiepiscopus Ancyranus.

L. Martinettus.

Registrata in Secretaria Brevium.

A N N O  
1726.

XXV.

*Pro Fratibus Minoribus Ordinis Sancti  
Francisci.*Quâ ubique terrarum præcedentiâ gaudere ju-  
bentur, tam in Processionibus, quàm in aliis  
publicis & privatis actibus, & functionibus  
super omnes Fratres Reformatos Ministro Ge-  
nerali totius Ordinis subiectos.

BENEDICTUS EPISCOPUS,

*Servus Servorum Dei, ad perpetuam rei  
memoriam.*

Pastoralis Officii nobis divinitus injuncti so-  
licitudo Nos admonet, ut omni cura, ac  
studio ad ea jugiter intendamus, per quæ Chri-  
sti fidelium sub suavi arctioris Religionis jugo man-  
cipatorum, uberesque bonorum operum fruc-  
tus, benedicente Domino, proferre jugiter sa-  
tagentium quieti, & tranquillitati consulitur,  
& quæ Religiosum eorum propositum turbare  
possunt, removeantur, ut nulla re præditi,  
ac sublatis animorum dissidiis, & æmulationi-  
bus juxta Regularia suorum Ordinum instituta  
in pacis amœnitate gratum Altissimo impendant  
famulatum, felicioribusque in dies in via Do-  
mini proficiant incrementis. Cum itaque, sicut  
accepimus, tametsi Fratres Ordinis Minorum  
Sancti Francisci de Observantia, Excalceati,  
Recollekti, ac Reformati respectivè nuncupati  
unicum corpus Religionis, ac Ordinem in simul  
constituant, atque sub uno, eodemque capite,  
& Ministro Generali, esse sub diversis Consti-  
tutionibus in Ecclesia Dei militent, antiquus ta-  
men usus, ac generalis prope consuetudo inva-  
luit, ut ipsi Fratres de Observantia ubique ne-  
dum in Galliarum, Hispaniarum, Portugallia,  
& Algarbiorum Regnis, ac Univerfa Germania,  
verùm, & in hac Alma Urbe nostra, ac reliqua  
passim Italia, ubi fel. rec. Gregorii XIII. Præde-  
cessoris Nostri Constitutio super præcedentiâ  
edita maximè viget, eosdem Fratres Excalceatos,  
Recollektos, & Reformatos in Processionibus,  
aliisque tum privatis, tum publicis actibus, &  
functionibus quibuscunque, nullâ habitâ ratione  
majoris, vel minoris antiquitatis suorum Con-  
ventuum præcedant, solumque aliquot ab hinc  
annis pro parte dictorum Fratrum Reformato-  
rum nonnullæ quæstiones super ejusmodi præce-  
dentiâ memoratis Fratibus de Observantia in  
quibusdam Italiae Provinciis motæ fuerunt sub  
obtentu, quod quidam eorum Conventus tem-  
pore, & fundatione illis Fratrum de Observan-  
tia forent Priores, licet in reliquis ejusdem Ita-  
liae Provinciis Fratres de Observantia prædicti  
præcedentiâ præfatam pacificè obtineant, eti-  
amsi eorum Conventus post alios Fratrum Reformato-  
rum inibi erecti reperiantur. Nos conside-  
rantes ejusmodi controversias inter Fratres dicti  
Ordinis, qui vota sua in spiritu humilitatis, &  
paupertatis Domino exhibere profitentur minimè  
decere, ac turbas in eundem Ordinem non sine  
scandalo, ac mutua inter eos charitatis detri-  
mento invehere posse, ad eòque illas omni ratione  
recidere, unamque ac certam hac in re formam  
ab omnibus Fratibus Reformatis prædictis ser-  
vandam præscribere volentes, nec non Gregorii  
Prædecessoris literarum prædictarum tenorem, &  
alia quæcunque etiam specificam, & individuum  
mentionem, & expressionem requirentia præsen-  
tibus pro plenè, & sufficienter expressis, & exac-  
tè specificatis habentes, Motu proprio, & ex  
certa scientia, maturaque deliberatione nostris  
deque Apostolica potestatis plenitudine, qualis

cunque